



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Nona, de Deo trino & vno Opt. Max. & Ecclesiae consensione, habita
Romae sanctissimae Trinitatis feriis, in summorum Pontificum sacello,
praesente Pio IV. Pont. Max. anno 1563.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

bes hanc pietatis officinam, hunc bonarum
disciplinarum cœtum, has doctrinæ sedes,
nos denique omnes ad aliquem curæ & sol-
licitudinis tuæ partem pertinere.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI.

*De Deo trino & vno Opt. Max. deque totius
Ecclesia consensione.*

AD PIVM IV. PONT. MAX.

ORATIO IX.



NON equidem miror P. B. ho-
diernum diem Dei Opt. Max.
qui natura vnus est, triplex hy-
postasi, festum atque solennē,
iucundissima præsentia tuæ lu-
ce, frequentissimo conuentu purpuratorum
patrum, publica Christiani populi lætitia
grata oratoris quãuis nõ bonivoce, maxima
cæremonia religionis antiquæ celebrari:
miror potius tacere quẽquã, & se cõtinere &
in tanto gaudio populi Christiani vniuersi,
orationem vnus hominis expectari: debe-
tur enim hoc illi rerum effectori & moli-
tori Deo, quem venerantes, animo quasi
ipse

præsentem intuemur, vel propter naturæ præstantiam & dignitatis, vel propter magnitudinem beneficiorum erga vniuersam hominum genus, vel propter immortalium bonorum quæ speramus ab ipso, iucunditatem, vt omnes ordines, omnes ætates, omnes nationes gestiant, exultent exclament & eius magnitudinem, quoad possint voce cantuque declarare conentur. Sed me, quem aliis tacentibus, vnum loqui necesse est, illæ res ipsæ vehementer conturbant, quæ maxima cæteris incitamenta dicendi solent esse; auctoritas loci, temporis breuitas, rerum difficultas. Locus hic ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus timorem mihi magnum affert, vt hominum expectationi par esse possim: angustiis temporis ita coarctor, vt nec in re quidem perfacili me satis vnquam expedirem: res autem est eiusmodi, vt nec in omni quidem æternitate pro dignitate possit explicari. Quis enim in hac mortalitate nostra infirmitateq; naturæ & in hisce tam cæcis humanæ vitæ nubibus & procellis illam supremam diuinamque naturam: quis hypostasis cuiusque proprietatem, & omnium inter se coniunctionem tantam & societatem: quis illius vel hypostasi triplicis vnitatis vel natura simplicis trinitatis imaginem

ginem in populo Christiano diuina vi mirabiliter expressam vel oratione consequatur, vel cogitatione comprehendat? Est Deus clarissima & immensa lux, est veluti Sol quidam *παμφαν* hoc est vt Græci loquebantur, vndique collucēs, & omnia illustrās; est illi pro domicilio & splendor inaccessus, pro dāmiētū circumfusum lumen. si longè aspicias, aut in rebus ab ipso perfectis tamquam in aqua intuearis, perobscure cernas; sin propiūs, vt oculorum, sic mentis aciem intendas, quò magis accedas, eò minùs ferre possis. Quod si hæc ideo minùs placent, quia lucem, qui contueri nequeunt, tamen eius vim fulgorēque sentiunt, est Deus quasi tenebræ quædam cæcæ, abditus ille atque retrursus, & ex omni parte dēsā g caligine circumseptus, in obscuro delitescit: vt etiam si eius *h* beneficio singulari prænotionem ipsius quandam, & insitam atque innatam cognitionem habeamus, nihil tamen de Deo assequi cogitando valeamus, nisi quantum aut hic cœli terræque pulcherrimus ornatus ab ipso descriptus ostenderit, aut ipse nobis pro naturæ suæ bonitate & in omnes homines beneficentia voluerit indicare. Non immeritò profectò Aemon, vt est apud Iustinum, non tau Philosophi, quàm Martyris no-

a r. Ioan
1. Diō. li.
de diu. no
c. 5. Dam
l. 1. de or
fid. c. 4.
b Plat. 6.
de rep.
Cyril. l. 1.
in Iul. pro
pè finem
Naz. orat.
in Athan.
init. l.
c. 1. Tim.
6.
d Ps. 105.
e Damaf.
li. 1. ca. 4.
iu fin.
f Damaf.
li. 1. c. 4.
g Cic. l. 1.
de na. deo
Psal. 16.
h Cic. l. 1.
de na. deo.
Plat. 10.
leg. 1. Da
maf. c. 1.
Nysl. cone
6. de vita
beata.
i Damaf.
li. 1. ca. 1.

Cic. l. i.
 de natur.
 leo. circa
 medium.
 Ioan. i.
 Tim. 6.
 Exod. 33.
 c. i. Tim.
 33.
 Chryf.
 hom. 141.
 Ioan. Na-
 zian. orat.
 2. Theol.
 Cyril. l. i.
 sup. Ioan.
 c. 22. Gre.
 18. Moral.
 27. Euāg.
 Papaep. i.
 Dion. de
 cœl. hier.
 cap. 4.
 Nyssen.
 con-cap.
 6. de vi-
 ta bea-
 22.
 Exo. 33.
 Numer.
 12.
 f. 1. Cor.
 12.

mine clarum & insignem, Deum *πάρεργον* esse dicebat, hoc est penitus occultum & abstrusum. Rectè Mercurius Trismegistus, & Platonius Timæus perdifficile esse statuerunt: mundi opificem & parentem inuestigare animo & complecti cogitatione, vbi verò fuerit peruestigatus, enunciare, & in vulgus indicare neminem posse. Prudenter Simonides non modò poeta suavis, verùm etiam doctus, Tyranno percontanti, quid esset Deus obscuriorem sibi rem in dies videri respondit. *b* Quare quem nemo hominum hac vita fruens vnquam vidit: què nemo potest humanis oculis intueri: quem vt plurimi, & antiquissimi rerum diuinarum scriptores tradiderunt, neque Moses, qui cum illo amicissimè & familiarissimè colloquebatur, neque Paulus à sensu corporis abstractus, & spiritu diuino ad tertium vsque cœlum excitatus humo, cum illo triduo multa recondita & arcana didicisset, qui, & qualis esset adspexit, de eo ex hoc loco verba facere, & æternitatem ipsam in has angustias, vnus horæ tantas includere, non est ingenij nostri, non humanæ imbecillitatis, non mentium denique singulariū atque cœlestium quarum, vis & natura proximè ad diuinam accedit. Deo plane, Deo, inquam, ipso est opus ad illam beatam im-
 mor

mortalēque naturam prædicandam. Verum de multis tamen, quæ Deus ipse de se hominū generi patefecit, dicā ego quæ poterō, & dicā simpliciter; ac sine vlla serie disputationū. Tu P. B. si videris meā orationē fluctuare nōnunquā, & de suo cursu depulsā temerē iactari, feres æquo animo pro tua singulari humanitate, & veniam infirmitati dabis idq; totū partim magnitudini & obscuritati rerū adscribes, partim ipsi tibi cuius ista maiestas tanta & potestas diuinitūs permessa & tradita facit, vt etiā si tuo humanissimo cōspectu mirādum in modū recreemur, tamen ne gaudere quidē sine aliquo timore possimus. Mihi in hac vrbe, quā Deus vōluit esse principē orbis terræ apud te, P. B. qui secundum Christum Opt. Max. es reip. Christianę caput, in amplissimo cœtu purpuratorū patrū, quorū arbitrio vera religio vbiq; terrarū gubernatur: hac luce triū vnius naturæ diuinæ personarū feriis consecrata, quarū incredibilis est omnium rerum admirabilisq; cōmunio, & de mysterij diuinitate, & de totius Ecclesię consensione quę velut effigies quædam est illius inexplicabilis coniunctionis, videtur esse dicendum. Precor ab illo parente vniuersitatis, cuius festum hunc diem anno vertente sæpe agitamur: cuius causa & hæc multitudo tanta

cōuenit ad audiendum & ego sum ad hunc
 dicendi laborem suscipiendum incitatus:
 & qui & surdorum aures antè clausas, ad vo-
 cem aperit, & linguas infantium facit lo-
 quentes & disertas, ne me tanquam Ozam,
 res tantas oratione non secus ac manibus
 tractare instituentem, euertat & percellat,
 sed tanquam Obededonem potius cœlesti-
 bus donis cumulatum, ea dicere patiatur,
 quæ præstantia ipsius non aliena, tibi pro-
 bata, P. B. vobis patres amplissimi, iucun-
 da omnibus qui audiunt; vtilia sunt & salu-
 bria futura. Duas de diuinitate sententias
 multum inter se dissidentes ac repugnan-
 tes, magno in errore video fuisse: Iudæo-
 rum vnā, alteram earum Gentium, quæ
 omnium superstitionum laqueis miserabi-
 liter constrictæ tenebantur. Nam Iudæi, dū
 ea quæ de vno Deo sacris literis apertè sūt
 tradita, imprudenter defenderent, neque
 cæci viderent, quæ de trina hypostasi pro-
 pter ipsorum tarditatem occultè signifi-
 cantur, in illum errorem miseri inciderunt,
 quem nunc maiorem suorum falsis opinio-
 nibus adstricti, valdè pertinaciter tuentur,
 vt non modò naturam diuinā, verum etiā
 hypostasim vnā esse crederēt. Contrā illæ
 nationes, quæ imbutæ priuatis erroribus
 vel monstris quibusdam atque prodigiis,
 vel

Esai. 35
 ap. 10.
 Reg.
 & 1.
 ral. 13.

vel cērtē rebus nihilò se melioribus, diu-
num principatum tribuerunt, dum partim
multitudinem deorum à superioribus ac-
ceptam obstinatis animis retinere cona-
rentur, partim populi metu vnum verum
Deum, ratione peruestigatum & inuētum,
profiteri palàm & colere non auderent,
vt hypostases, sic etiam naturas diuinas
permultas, vecordes. atque amentes indu-
xerunt. Inter vtrumque errorem media ve-
ritas, quàm sola præ se fert, & in medium
profert Ecclesia Christiana, diuino con-
cessu ac munere singulari vtriusque caligi-
nem cæcāmque noctem, admirabili splen-
dore discussit, diluxit; illustrantur & pa-
tent omnia, quæ Iudæis obscure signifi-
cata, cū ea nulla vis ingenij, nulla mentis
acies, nulla hominū solertia cōsequi posset
tot antè sæculis crassis occultata tenebris
& circumfusa latuerūt: vnā enim esse natu-
ram diuinā prædicamus, sed eam in triplici
hypostasi perfectā, Patre, Filio, & Spiritu
sancto, sine vlla diuisione consistere confi-
temur, vt quia non vna est hypostasis, non
sit solitarius; quia verò eadem est trinæ hy-
postasis natura, vnus tantū verè sit & no-
minetur Deus; quòd neq; diuinis in literis
Iudæi, præter admodū paucos agnouerunt,
neque in Syria, Chaldæi astrorum cogni-

tione præstantes, neque Persarum Magi ingeniorum celeritate nobiles, neque Sacerdotes Ægyptiorum tot antiquissimis litterarum monumentis abundantes, neque Bactrianorum Semanæi, aut Gymnosopistæ Indorum tam incredibili discendi studio flagrant, neque Druides Gallorū insignes tot annorum disciplinâ, neque Græcorum Sapiētes omnium artium instructi præfidiis, neque Latinorum Doctores, omnium propè gentium litteris & præceptis perpoliti, aut animo comprehendere, aut attingere suspicione potuissent, nisi Deus ipse mortalibus vltro nec opinantibus patefe-

§ Thom.

2. part. q.

22. art. 4.

cisset. Etenim humanæ mētes, quia Deum ipsum intueri nequeunt, ex hac tanta molitione rerum & gubernatione, sibi nonnullam opificis & rectoris notitiam studiosè quærent, eaque solùm assiduâ curâ & diuturna commemoratione assequuntur, quæ procreatorem, & quasi fontem omnium rerū illum esse declarant. Quæ si pertinent ad naturam diuinam omnia, & cōmunia sunt omnibus personis inter ipsas, quāuis multi Deum vnum esse cognouerunt, quod non negamus, quis tamen vniquam hac vñitata & trita via, potuit ad vnamquamque hypostasim, sua proprietate distinguendam, & omnes inter se naturæ ceterarūmq; rerum,

hæc

sine vlla exceptione communitate iungen-
 das peruenire? *a* Scio fuisse crebram in Sy-
 -billarum carminibus patris filiique men-
 tionem, & Sybillam Sambethen oriundam,
 vt aiunt, à Noë xxiiij. Libros de Christo, de
 suæ gentis origine, de mundi ortu conscri-
 psisse. Video sermones Mercurij Ægyptij,
 quem Trismegistum appellatum fuisse fe-
 runt, *b* quòd diuinitatem vnã in triplici
 hypostasi esse tradiderit, eiusmodi senten-
 tiis refertos, quæ cum vera religione mirè
 consentiant: non ignoro Zoroastrem, &
 Chaldeos de patre & filio aliquid aliquan-
 do tradidisse, vt Pselus philosophus, &
 Christianus, est auctor. Illud etiam accepi
 cum *c* Dum Ægyptij tenebras ignotas no-
 minarent, ter hoc eos acclamare solitos ad-
 trinam hypostasim designandam: legi Or-
 pheum poëtam, quem Iustinus martyr co-
 gnouisse testatur, Dei filium effectore fuis-
 se mundi, in suis hymnis non pauca de pa-
 tre, & filio sapienter cecinisse. Multa apud
d Platonem reperiri constat, à Platonicis
 autem philosophis bonã partem diuinitus
 nobis traditæ doctrinæ mirabiliter expref-
 sam fuisse, sanctus *e* Augustinus affirmat:
 non inficior multis antiquis non penitus
 ignotas tres nature diuinæ hypostases fuis-
 se: verum neque hos, neque aliũ quẽquam

a S. Augu-
 in orat. d
 quinque
 hæres. c. 3

b Snidas
 in verb.
 Mercu-
 rius.

e Dama-
 sciũs Pla-
 tonicus.

d Plat. ep.
 2. ad Dio-
 nyf. & ep.
 3. ad Her-
 miam, &c.

In Phil. in
 Crat. in
 Epinomi-
 de. de bo-
 no. de rep.
e Lib. cõf.
 cap. 9.

ingenij præsidis, rei tam reconditæ cognitionem assequi potuisse contendo. Primos equidem illós homines, & parentes generis humani, hanc à Deo nostri amantissimo, magni muneris & beneficij loco accepisse arbitror: multos item postea viros excellentes atque diuinos: hos tradidisse posteris, & quasi per manus ad Chaldæos & Ægyptios, per Hebræos peruenisse ab his tandem didicisse Græcos. Itaque Orpheum, Thaletem, Solonem, Democritum, Eudoxum, Pythagoram, & Platonem & Clemens Alexandrinus, vt alios omittam, in Ægypto, & Syria memorat cum sapientissimis quibusq; fuisse versatos: & quidem *b* Orpheus ipse de se confitetur, de Solone locupletissimus testis est *c* Plato. Quid? quod Iustinus philosophus, & nostræ religionis ornatissimus defensor, *d* Orpheum vidisse perhibet in Ægypto scripta diuinorum vatum: quod Orpheus ipse de filio Dei, maiorum & famæ veteris testimonium profert: quod *e* Platonici, qui in Christianorum tempora inciderunt, à nobis mutuantes, & Apostolorum, licet eos cõtemnerent, auctoritatibus abutentes, diligentius & apertius quàm superiores, de trina hypostasi differuerunt: non satis declarat, non hæc ab hominibus inuestigata primùm & prodita: sed à Deo priscis

Libr. 1.

strom.

In Ar.

gonautis.

In Ty

næo.

In Hym

nis apud

Iustinum

in orat.

prædicta.

Plotinus

Amelius

apud Cyr.

lib. 8. con-

tra Iul.

Porph.

scis illis & præstantissimis viris tradita
 fuisse per eos ad posteros disciplina patriâ,
 & communi famâ permanasse? quid cense-
 mus esse causæ, cur in Aristotelis, & Peri-
 pateticorû libris; qui omnia ad acerrimam
 normam rationis dirigebant, ne litera qui-
 dem vna de trina diuinitatis hypostasi repe-
 riatur; apud Platonem autem, qui plurimum
 antiquitati tribuebat, præscos & illos mor-
 tales præstantiores nobis, & Deo propin-
 quiores opinabatur existisse, & apud eos
 qui coluerunt Platonis disciplinam, multa
 similia nostris inueniantur? videlicet in his-
 ce rebus indagandis, eruendis, demonstnan-
 dis non acies ingenij, sed fama valebat: quæ
 quo longius ætate procedebat, eò erat ob-
 scurior, eò magis falsa veris affingens, vt so-
 let, ab illa prima integritate discedebat.
 Quare cum antiquissimi illi sapientes &
 Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Deum
 esse dixissent; neque sit vnus, an tres, aperte
 satis ostendissent, b nonnulli de Platonicis
 Christianæ religionis odio, tres deos esse
 commenti; tantò maiorem hominibus pe-
 stem attulerunt, quantò plus tum apud
 multitudinem, tum apud principes ob illu-
 stre sapientiæ nomen auctoritate & gratiâ
 valebêt. Gratias tibi agimus ingêtes & im-
 mortales, mundi creator, conseruator, & re-

Theod.
 Proclus
 Philon.

a Platon
 Phil. &
 M. Tull. l.
 I. Tusc.
 subnitio.

b Ame-
 lius Por-
 ph. Procl.
 Theod.

ctor Deus, qui naturæ nostræ & imbecillitati & peruersitati & tarditati subuenisti imbecillitati, cum ea docuisti principes humani generis, quæ nūquā homines ipsi odorari potuissent peruersitati, cum cœlestem doctrinā, tū vetustate corruptā tum depravatā à posteris, & ignorationis malitiæque tenebris offusam, per Mosem, & alios præstātes viros in pristinā dignitatē vindicasti: tarditati, cum nō satis à nobis percipi cernens, quæ per illos obscuriūs rectiūsque tradidisses, a vnigenā filiū tuū è sinu tuo, tanquā internunciū & interpretē ad nos misisti, qui rem totā, quoad humana mens capere posset, absque vlla circuitione verborū & anfractu, dilucidè, & apertè nobis enarraret, tuā nos tam grata & iucunda recreari luce, in tanta inscitæ caligine tuā nō solūm omni oratione, verūm etiā cogitatione superiorem liberalitatē & beneficentiā te adiuuāte prædicabim⁹, exornabimus, efferem⁹ in omni vita, si min⁹ ut est merita de nobis, certè quantū imbecillitas nostra patietur: est igitur vnus & trinus Deus, cum illa præstans supremæque natura, vna & eadem in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritū sancto consistat. Pater aliunde non est, non factus, non creatus, non genitus; non ab alio existit & manat; principium principio carens, ex omni

Ioan. 2.

ni æternitate non alterius beneficio, sed sua vi cohærens; fons non solum omnium rerum, quæ factæ sunt, sed etiã Filij, & Spiritus sancti. Filius est principium ex principio, nõ ab vlllo certo tempore factus, non creatus, sed ex æternitate, ratione quadam hominibus incognita genitus à solo Patre, eiusque naturali dono ac munere per se cohærens, cum generatore suo sine vlla perturbatione, cõfusione, permistione, vna penitus natura coniunctus, & ab eodem sine vlla distractione, alienatione, auulsione, hypostasi distinctus. *a* Spiritus sanctus ex Patre & Filio, vno ipsius principio, æternus ex æternis, non creatus, non generatus, mirabiliter procedit, & ita procedit, vt cum vtrõque eiusdem prorsus naturæ communiõne copulatus alius sit ab vtrõque. *b* Itaque in litteris diuinis & Patris, & Filij, sine discrimine Spiritus esse dicitur, & quò magis eorum qui contra senserunt, stultitiam miremur, prisca illa theologia omnium nationum, quamuis erroris & superstitionis plena, tamen eum & à Patre, & à Filio procedere cõfitebatur. Atque ortus quidem Filij, & Spiritus sancti processus, tam admirabilis est, tam seclusus à mentibus humanis, vt eum neque vllius hominis oratio declarare, neque cogitatio capere possit. *c* Vt enim

a S. Tho.
1. par. q. 3.
art. 2. 3. 4.
Mag. sent.
distinct.
c Magis. r.
sent. dist.

c Damasc.
lib. 1. c. 1.

non

non eo leui modo Deus efficit, atque homines, sic dissimillima est Dei, & hominum ratio generandi & spirandi, iurèque optimo vates ille sanctissimus admiras exclamauit filij Dei generationem enarrari non posse. Viderunt hoc etiam antiqui illi Theologi exterarum nationum & vt potuerunt homines nondum ab ipsa veritate doctis declararunt. Quid enim Mercurius Trismegistus in illo suo sermone perfecto significauit, cum *a* filium dixit esse filium bonæ voluntatis, nisi patri solam vim, & naturæ suæ fœcunditatem esse satis ad gignendū, *b* qui perpetua, constans, immutabilis voluntas, & gaudium immortale comitetur? quid aliud idem ostendit cum Deum, *arrodelon*, nominauit, nisi ab illa sempiterna generatione coniunctionem omnem, qualis alicui stulto fortè venire posset in mētem, excludendam esse? quid aliud Plato tantò post designauit, cum teste Porphyrio tradidit, *c* à summo bono, quod apud illum nomen est patris, mentem, quod ille nomen filio attribuit, ortam esse ratione quadam hominibus ignotâ, nisi velut infinito quodam spatio dissimilitudinis diuinū illum ortum à nostro distare? Nihil igitur hic humile, P. B. nihil abiectum, nihil sordidū cogitandum est: nihil à nobis transferendum ad Deum, sed

a August.
in or. cot.
hæres. 3.
b Magisti
r. sent.
dist. 3.

c Libro de
bono.

sed excitandi & erigendi animi, ut da Deo
magnificentius, quemadmodum illam am-
plitudinem & maiestatem decet, & sentia-
mus, & loquamur, & quidquid à nobis aut
diciverbis aut omnino comprehendi possit,
id infinitis partibus infra diuinam dignita-
tem esse fateamur. Pater in illa immutabi-
li æternitate seipsum perfectè intelligens,
a perfectam quandam concipit similitudi-
nem sui: quæ cum sit ipsa natura diuina, nõ
est alius Deus ac Pater, sed vnus & idem cū
patre Deus: quem ideò Filiū vocamus, quia
oritur à principio viuente, immò à fonte vi-
tæ coniuncto, & ex ipsa nascendi ratione &
modo vnã & eandem habet naturam, at-
que Pater. b Ambo verò iam inde vsque ab
æternitate se mutuò infinitè diligentes, a-
morem spirant æternum & infinitum: qui
non affectio aliqua est, non habitus, ut no-
ster amor, sed verus Deus, & eiusdem, ac Pa-
ter, & Filius naturæ. Hunc nos diuinitus
instituti non Filium appellamus, sed Spiri-
tum sanctum, quoniam non, ut intelligēdo,
mens sic etiam voluntas amando similitu-
dinem aliquam informat, eius, quod ama-
tur, sed abrepta velut Spiritu quodam ve-
hementi, impellitur ad potiundum & fruen-
dum: Filius tametsi est alius, ac Pater, ut
ipse demonstrauit, cū suum patrisque te-
stimo

a Thom.
1. p. q. 7.
art. 2. Idē
li. 4. cōtra
Gent. c. 1.

b Thom.
1. p. q. 17.
art. 3. &
4. & con-
tra Gētes.
li. 4. c. 19.
Mag. 1.
sentent.
dist. 10. 11
& 13.

c Ioan. 3.

a Mag. **stimonium**, duorum testimonium esse di-
 sent. l. i. d. **xit**, tamen ex omni parte, similis & æqua-
 19. & 20. **lis** est patri. Quid enim absurdius fingi po-
 S. Tho. 1. **test**, ut sanctus **b** Augustinus perquam pru-
 p. q. 42. ar. **denter** & acutè colligit, quàm patrem sibi
 1. & 2. **Filium** generare aut non potuisse, quod in-
 b Libr. 3. **firmitatis** est, aut noluisse, quod est inuidæ
 cõt. Max. **voluntatis**? sanè sapienter in symbolo fidei,
 e. 7. & 16. **Deus** de Deo, lumen de lumine à sanctissi-
 Idè lib. q. **mis** Patribus afflatu diuino appellatus est,
 83. q. 52. **quia** cùm de lumine lumen accenditur, ni-
 Mag. sent. **hil** vel de altero diminuitur, vel in altero
 1. dist. 20. **desideratur**: **c** diuinitùs à Paulo dictus est
 c Ad He- **figura** substantiæ Patris, **d** propterea quòd
 bræos 1. **ut** impressa figura, neque maior est arche-
 d Theoph **typo**, ne qua ex parte sit rudis & informis;
 in 1. ca. ad **neq;** minor, ne qua ex parte similitudinem
 Hebr. **archetypi** non habeat expressam: sic Dei
 e Ioan. 14. **Filius** totus referens totum Patrem, omni-
 15. 16. & **nò** par & æqualis est Patri, neque minorem
 17. **se** ipse aliquando dixit, nisi quia nostram
 f Magist. **naturã** induit, ut nos ereptos ex misera ser-
 1. sentent. **uitute** in virtutem filiorum Dei vindica-
 dist. 19. **ret**. Pari ratione Spiritus sanctus à Patre &
 S. Thom. **Filio** hypostasi distinctus, **e** ut ille suauissi-
 1. p. q. 42. **mus** Christi sermo, quem appropinquante
 art. 3. Gr. **iam** morte cum discipulis habuit, multis
 Nys. hom. **locis** ostendit, **f** nulla re tamen inferior est
 3. de orat. **g** **1. Cor. 6.** Patre, vel Filio, cùm & à beato **g** Paulo in
 Dom. **episto**

epistolis, & à S. Petro in historia *a* Lucæ, *a* Mag. 1
 Deus apertè nominetur. *b* Est quidem ali-
 quis personarum inter ipsas ordo, non na-
 turæ gradibus, non temporū consequentiâ,
 non dissimilitudine dignitatis, sed originis
 tantum serie constitutus. Primus est Pater,
 Filius secundus, tertius Spiritus sanctus, nam
 à patre nascitur Filius, & Spiritus sanctus
 procedit ab utroque: verum in hoc ordine
 nihil dispar, nihil prius tempore, nihil ma-
 ius, nihil minus, nihil superius, nihil infe-
 rius intelligendum est. *c* Non enim si Pater
 Filio dat hoc ipsum, quod est, & uterque
 Spiritui sancto, continuo minores existi-
 mandi sunt, qui eandem diuinitatem acce-
 perunt: neque verò, ut hic apud nos accipi
 solet, sic æqualitas accipienda est in natura
 diuina: etenim nos æqualia vocamus, quæ
 sunt illa quidem diuersa, veruntamè sic in-
 ter se paria, ut neutrum ab altero superetur.
d At hypostases diuinæ ita sunt æquales,
 ut sint prorsus vnum atque idem. Non alia
 est natura Patris, alia Filij, alia Spiritus san-
 cti, nobilitate pari & præstantia, sed trium
 personarum, vna & eadem est penitus na-
 тура & ideòque in Patre Filius, in Filio Pa-
 ter esse dicitur: tolle ortum, & processum,
 & alia quæ comparationem significant
 personarum inter ipsas, cætera omnia, li-
 cèt

10. S. Tho
 1. p. q. 42
 art. 3.
 b Hil. lib
 9. de Trin.
 Cyr. lib. 2
 in Ioan c
 1. Thom. 1
 p. q. 41. ar
 4. ad 1.

c Magis. 1.
 sent. d. 19.
 Athanas.
 in symb.

d Mag. li.
 1. sentent.
 dist. 19.
 Thom. 1.
 p. q. 42.
 art. 5.
 c Thom. 1.
 p. q. 39 ar.
 7. & 7.

cet aliud alij certis de causis tribuatur, pe-
 nitus eadem reperientur. vna mens, vna vo-
 luntas, vna sapientia, vna bonitas, vna æter-
 nitas, vna immensitas, vna vis & potestas,
 denique vnus & idem Deus, cuius & impe-
 rio, cùm antea nihil esset, omnia exstite-
 runt, & numine ac ditione continentur, &
 voluntate nutuque gubernantur. O recon-
 ditam, & admirabilem distinctionem! ô mira-
 biliorem in tanta distinctione cõmunio-
 nem rerum omnium, & societatem? Sic
 sunt tres hypostases, vt non sint diuersæ: sic
 vnum & idem sunt omnes, vt non sint per-
 turbatæ neque confusæ. Cui vnquam ho-
 mini hoc in mentem venire potuisset, nisi
 nobis aperuisset ille ipse qui solus perfectè
 se ipse cognoscit: aut si eni acuto homini
 atque diuino aliquando venisset in mētem,
 (quod fieri non potuisse intelligo, sed si ve-
 nisset, quis nostrum ei hæc docenti fidem vl-
 lam habuisset, nisi diuina auctoritate nite-
 retur quo maior & amabilior tua erga nos
 liberalitas debet videri, ô mundi opifex, &
 ædificator Deus, qui ea nobis per summos
 viros declarare voluisti; quæ aliunde quã à
 te, nemo ne iusfuito quidem tēpore cogno-
 uisset. Hæc omnes qui rectè de religione
 senserunt, iam inde ab initio professi sunt;
 hæc afflata spiritu, diuino doces Catholica
 Eccle

Ecclesia Romana; hæc nobis vel cum extremo vitæ periculo tuenda sunt, quæ naturæ rerum sub obscuris adumbrata vestigiis tum in literis diuinis : tum in publicis Ecclesiæ moribus & institutis, rebus permultis apertè significantur. *a* Sole coæuum ipsi lumen existit, & calor vtrique coæuus ab utroque. *b* noster animus vnus est, qui memoriam tamen habet, & intelligentiam & voluntatem. In eodem vna mens est, sed ea gignit notitiam sui à mente verò, sui que notitia proficiscitur sui amor, quæ tametsi quàm longissimè à veritate absint: tamen vt ymbra corpus indicat, sic illa veritatem. *c* Moses Deum, & omnibus mundi partibus descriptis, de homine faciundo & hominibus Babyloniam turrim ædificantibus, de opere impediundo cum Filio, & Spiritu sancto quasi deliberantem induxit. *d* Abrahamus tres vidit, & vnum adoravit. Esaias *e* Deo in solio sedenti Seraphinos acclamantes audiuit: Sanctus, Sanctus, Sanctus. *f* Ioannes quatuor animalia, circumdata oculis ex omni parte, vidit simili Deum acclamatione sine intermissione venerantia. Idem illud *Trisagion* in sacrificiis maximâ ceremoniâ, publico ritu decantatur. *g* In sacris carminibus Davidis ter interdum appellatur Deus. *h* Tres sunt qui testimonium dant in

a Damas. lib. 1. c. 8.

b Magist. 1. sent. dist. 3. & Aug. lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 6.

c Genes. 1 & 2.

d Genes. 8
e Cap. 6.

f Apoc. 4.

g Psal. 66.

h Ioan. 5.

Or. p.

Z

a Matt. 5.

b Mat 18.

cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. *a* Christo ad Iordanem abluto, Spiritus sanctus, columbæ specie sese ostendit, Pater autem vocem amoris plenam fudit è cælo *b* nos omnes ex Christi præcepto in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti aquâ salutari tincti sumus, in omnibus actionibus suscipiendis patriâ, & antiquâ disciplinâ crucem à fronte ad pectus & humeros, tribus digitis designâtes, tres hypostases diuinas & secundâ à prima ortum teritiæ ab vtraque processum indicamus in sacris exorcismis, in mysteriis diuinis & tres personæ nominatim appellantur & sacerdos interuallis quibusdam ter crucem manu describit, Christi feriis à mortuis existentis cereus vnus in tres partes diuisus eiusdem ceræ pabulo tria lumina æquabiliter nutrit. In publicis supplicationibus ac priuatis iisdem verbis Patris, & Filij, & Spiritus sancti misericordia imploratur. Psal. denique omnes in templis, & omnes solennes preces vnus & trini Dei commemoratione terminantur. Quid; quod de sapientibus Iudorum narrant, cui viderunt, mediocre ne argumentum est, hanc sententiâ omnibus ætatibus diuino munere apud sapientissimos quosque valuisse? vetus est quod dicam, P. B. sed nemini eorû, qui ad sunt,

sunt, vt arbitror, ante hanc diem vniquã auditum; quod à nostræ Societatis hominibus ab vltimis vsque partibus orientis Solis, proximis annis ad nos præscriptum, non tantã mihi tum admirationem attulit, quantam nunc rem totam diligentius consideranti solet afferre. Brachmanes apud Indos reliqui ex illa veteri Gymnosophistarum disciplina tres diuinitatis personas, vnum tamẽ Deum esse credunt, & quod humana mens capere sine fide nõ potest, id ipsi fantasti arboris in illis terris bene notæ, similitudine non satis exquisitã, sed in hominibus tam alienis à veritate neutiquam contemnẽdã, persuadere cæteris conantur; quo in ligno vno, & eodẽ hæc tria, frigus, color, & odor, inter se diuersa reperiuntur. Itaque funiculum gestant ex tribus aliis funiculis intortum, quorum singuli rursus constant è tribus linis ad personarum numerũ designandum: quas vnum & idem esse declarantes, extrema funiculi inter se nodo connectunt: is pueris iniicitur à parentibus se primo ætatis anno, insigne pietatis & religionis, quo Brachmanes a cæteris discernuntur: eum rumpere nefas esse dicunt, & tamen rumpunt, vbi repudiata veteri superstitione Christianorum satis initiari decreuerunt. Hæc illis à maioribus tradita fuisse

credo multis obseruata commentis, & erroribus inuoluta, sed consuetudine Lusitanorum, qui in illas terras nauigauerunt, melius aliquando quam antea, eos loqui, atque adeo sentire coepisse. Mira profecto vis est veritatis, mira prorsus & incredibilis, cuius lumen cinctum tenebris tam densis, ab omni parte tamen emicat interdum & splendidissimo candore, quasi fulgur ex medijs nubibus elucet. Quanquam non est argumentis opus in iis, quæ non idcirco credenda sunt, quia probantur, sed quia nobis diuinitus traduntur. Verum vt omnes intelligant, quanta sit vis cœlestis diuinæque doctrinæ: quæ res vnquam ab impijs est oppugnata vehementius? quid maiorem apud omnes gentes contentionem & certamen atrocius excitauit? armis, armis atque castris tentata est, & Cæsaris edictis, ne tres hypostases vnus naturæ crederentur. Ab Ægypto illa pestis orta, cum Syriam, Asiam, Thraciam, Græciam, Macedoniam, Italiam, Galliam peruasisset, sic adoleuit, vt Gothorum armis in extremam Hispaniam vsque penetrans, occupatis orientis obeuntisque Solis Aquilonis Austrique partibus, prope trecentos annos rempublicam Christianam miserandum in modum affligerit, sed aliquando diuinâ ope, & bonorum diligentia,

ita

ita compressa & extincta est, vt ne minima quidem contagio ad posteros permanarit. Nimirum ab Ecclesia fides & veritas, ab illis, qui dissentiebant, fraus & mendacium stabat: pro falsitate malus dæmon, pro veritate Deus ipse pugnabat, & ad nihilum recidere necesse est omnes illorum conatus, qui verè religioni cœlestique doctrinæ bellum habent impium, atque nefarium indictum. Dixi, P. B. quæ de re tam obscura, & ab omni cogitatione longè remota, hac imbecilitate nostrâ, his temporis angustiis, hac summorum hominum frequentia, quibus ne sim molestus, diligenter prouidendum est; dici vel potuerunt, vel debuerunt. Sequitur illa pars ampla atque magnifica, quæ non tam scientiæ lumē desiderat, quàm dolorem actionis; neque tantum habet obscuritatis ad intelligendum quantum, nisi Deus præsens nobis auxilium suum atque numen ostendat, difficultatis ad efficiendū. Aperienda enim nobis est admirabilis Ecclesiæ Christianæ; ex illa trium diuinarum hypostascon communione expressa coniunctio, quam improborum audacia magna ex parte diuulsam atque distractam, sine gemitu & luctu inueneri non possumus, tua verò, P. B. qui illi præes, cura, labore, vigilantia, ad eam concordiam, quâ ipsam esse

par est, reuocari vehementer omnes optamus. Etenim optimus ille & lenissimus parens generis humani, per Filium suum Iesum Christum Dominum nostrum, ex multis variisque gentibus nos pro sua clementia delectos conuocauit, vt trinum & vnum Deum nō solum verbo confiteamur, sed etiam ipso vitæ genere diligenter imitemur. Vereor vt ea, quæ dicam, perinde intelligi auditu possint, atque ego ipse cogitans sentio. Voluit Christus liberator noster non modò, vt se hominem homines sequamur; verum etiam vt mentes humiliatas & abiectas erigamus & excitemus altius ad illam magnitudinem diuinam, & in nostris animis imaginem quandam tam occulti mysterij, moribus, non secus atque coloribus, exprimamus, vt quemadmodum hypostases diuinæ sunt idem, sic nos etiam quodammodo vnum, & idem simus. *Pater sancte; inquit, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos: at id postulabat discipulis suis, quos vnos ex omni hominum numero magistros omnium Gentium, rerum abstrusarum, & à communi hominum sensu abhorrentium doctores principes Ecclesiæ, duces veritatis, diuinarum legum interpretes, humanæ vitæ moderatores, lumina orbis terræ*

oan. 17.

terræ delegerat. Illi qui dei Filium humana specie, & figura inter homines versantem, multasque res novas & mirabiles patrantes, adspexerunt, verba facientem audierunt, totam Palæstinam pedibus peragrantes sequuti sunt, cum eo vixerunt, unum cibum coeperunt, unum fuerunt, sæpe colloquuti sunt, illi profecto tales, quales tu depingis, esse debuerunt nos verò tantò post, consenscente iam mundo natos, ad quos diuina quidem prouidentia & benignitate, vix tamen rerum tantarum fama peruenit, neque possumus ita viuere, si maximè velimus, neque si possumus, est necesse. Audi quicumque vel tacitus hæc tecum ipse cogitas, vel in circulis & congressionibus familiarum temerè & inconsideratè actis audi, non à me callidè compositam, sed ab ipso Christo sapienter pronunciatam, & relictam superiorum verborum explicationem: *Non pro eis autem, inquit, rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ioan. 17.

Habes pro quibus patrem deprecetur: non pro discipulis præsentibus modò, sed etiam pro omnibus, qui doctrinam eorum erant aliquando vel literis, vel per manus traditam accepturi, tenes ab apostolis vsque deriuatam fidei, morumque disciplinam, credis verbis diuinis? speras illud immortalis

bonum & infinitum? pro te Christus Patri
 supplicauit, si nihil ad te preces illæ perti-
 nebāt, prorsus es alienus à Christo: nā cum
 dixit, *sed & pro eis, qui credituri sunt*, meminē
 ipse è sua deprecatione voluit excludi, nisi
 qui se ipse, non acceptis cœlestibus donis
 exclusisset. Quid autem agebant illæ tam
 supplices & demissæ preces? quid petebant?
 quid orabant? aliudne aliquid, quàm quod
 autcā discipulis, præsentibus postularant,
ut omnes, inquit, unum sint, sicut tu pater in
me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.
 Magna certè res, ad cogitandum non om-
 ninò facilis, difficilior ad dicendum, ad vi-
 tam beatam necessaria, ignorata paucis,
 propè omnibus neglecta, quæ quātò maio-
 rem cœlestium bonorum copiam retenta
 & culta peperisset, tantò spreta ac repudiata
 grauiores in hominum vitam, & atrociores
 calamitates effudit. Magnum & arduum
 munus, quod nulla vis non humana modò
 verùm ne cœlestis quidem nisi diuina, præ-
 stare possit. Singularis enim illa, & omni-
 cū oratione, tum etiam cognitione su-
 perior trium personarum naturalis coniū-
 ctio tribus potissimùm rebus mihi vide-
 tur contineri, mente, voluntate, efficientia,
 non enim alia mens est Patris. alia Filij,
 alia Spiritus sancti, pari & ad res videndas
 acumi

acumine, & ad comprehendendas celeritate; sed vna est omnium intelligentia, qua pariter, sine vlla distractione, præterita, instantia, futura vno quasi adspectu intuentur: non sunt tres voluntates, item vt tres hypostases inter se consentientes & conspirantes, ad idem statuendum, sed eadem est trium personarum voluntas, qua res omnes absque vlla diuisione, ex æternitate decreuerunt: non quot personæ totidē sunt potestates inter æquales ad efficiendū, totidem item pares in rebus & gignendis, & conseruandis, & gubernandis, functiones, sed Pater, Filius, & Spiritus sanctus, non alius ab alio separatim, verūm omnes coniunctim, vnâ vi, vnâ communis efficiētiae functione, mundum procrearunt, conseruant, regunt: & omnia, quæque supra, quæque infra lunā sunt, sine sollicitudine sine defatigatione, sine labore procurant: Hanc tam incredibilem, & tam admirabilem triplicis hypostasis rerum omnium societatem, & naturæ communionem, qui se penitus assequi posse confidat, amens sit. Longissimè abest ab illa diuinitate natura nostra: infinito quodā interuallo à Deo disiungimur. fieri nullo pacto potest vt aut in tam multis corporibus, & tam diuersis insit prorsus vnus animus naturâ: aut in animis tam

disiunctis & distantibus, eadem omnino sic
 mens, eadem voluntas, eadem vis efficiendi.
 Quoniam igitur modo tantum munus su-
 stinemus, ut arbitremur nos aliquam simili-
 tudinem illius æternæ Trinitatis consequi
 posse imitando? Via mihi quædam osten-
 ditur antè clausa viribus humanis, nunc
 aperta cœlestibus atque diuinis, & patens
 quàm breuissimè, quoad eius fieri poterit,
 oratione demonstrabo. Sunt in nobis, ut
 multi ac diuersi animi, sic etiam multæ ac
 distinctæ, singulæ videlicet in singulis, men-
 tes atque voluntates; quæ tum à se inuicem
 distrahi ac diuelli; tum inter se coniungi &
 copulari possunt, & quodã quasi communi
 vinculo adstringi, ac nostræ quidem mentes
 opinionum & sententiarum discrepantia dif-
 fociantur & disiunguntur: earundem simi-
 litudine & consensione in vnum coalescunt.
 Nam cum omnium rerum, quas compre-
 hendunt, species quasdam, & velut imagi-
 nes in se insidentes habeant, cum illis ita co-
 pulentur, ut ipsarum prorsus naturam induis-
 se videantur, animique nostri sapienter à
 philosophis omnia dicantur esse, quod om-
 nia quæ subter, & quæ supra, cogitatione
 queamus & mente complecti, ubi verò no-
 titiam alicuius rei conceptam pepererunt,
 eam non aliter, ac matres partus foetusque
 suos,

Arist. lib.
 de anim.
 cap. 8.

suos, eximio quodam amore naturæ amplectuntur, ita fit ut & quando variè sentiunt de rebus distraherentur, ac velut in cōtrarias partes rapiantur, & quando sententiarum coniunctione inter se coeunt, vnum & idē fiat ē multis, si minus natura, certè conspiratione atque cōsensu. Tacco in præsentia de duabus illis philosophiis antiquissimis, a Diog. quarum vna à Thalete Milesio vsque ad Socratem, altera à Pherecide Pythagoræ magistro, vsque ad Democritum & Leucippum in obscuritate naturæ potissimum fuit, & in cognitione diuinarum rerum occupata: quantæ fuerint in eis dissimilitudines prætermitto, b Ab vno Socrate, qui primus dicitur de cælo deduxisse philosophiam, & in mediis hominum cœtibus collocasse, tamquam ab vno sapientiæ iugo, quæ disciplinarum sunt facta diuortia? tēpus me citius deficiat, quàm Socraticorum omnes multum inter se distantes vias & rationes enumerem. Cynici, Stoici, Cyrenaici, Epicurei, Peripatetici, Academici, hique duplices, veteres & recentes; Herilij, Eretrici, Megarici, Pyrrhonei aliæ multæ familiæ profeminatæ sunt eam inter se dispares, tam disiectæ, ut nihil magis dissimile fingi possit: atque omnes ab iisdem Socratis fontibus manant. Sed dum aliud in Socraticis dispu

a Diog.
Laer. l. i. c.

1.

b Cic. li. 3
de Or. Dic
L. er. in vi
ta Soc.

disputationibus patientiam & duritiem præcipuè miratur; alius maximè capitur voluptate, alius cognitionem & scientiam præcæteris rebus amplexatur, alius mediam quandam inter duritiem & dissolutionem, sententiam tueretur dissentione ipsa discerpta, & quasi discissa. Socraticorum doctrina vna cum esset, multiplex & varia, sui que dissimilis effecta est: neque iam vlla ratione possumus eorum vnam dicere fuisse mentem, cum sententiæ fuerint tam inter se dissidentes ac discrepantes, & alius aliam viam, aliam sectam, alia instituta persequeretur. At eos omnes, quibus idem probabatur, vsque eò non segregamus, vt vulgò pro vno numeremus, voluntates autem vt ab alienantur odio, sic amoris mutui vinculis arctissimè constringuntur: *a* habitat enim penitus, qui amat, in eo quem diligit vel quia omnia eius consilia quamuis abdita & inuoluta, cogitationesque tacitas animo inuestigat & euoluit: vel quia suscepit personam ipsius eiusque tum bona, tum mala, ducit sua, atque eò sensim progreditur amando, vt à seipso alienus & abstractus *b*, apud eum magis quem amore prosequitur, quam apud se esse videatur, quod si is, qui diligitur, mutuum facit, & ei qui se amat, parem atq; accipit voluntatem reddit, tum, illud profe-

a S. Th. 1.
2. q. 27. ad
3. & q. 28.
art. 1. & 2.

b Aug.

ctò

Etò euenit, quod est in amore summum, vt
 alter in alterius pectore quoddammodo vi-
 uat, & vnus è duobus animis mirà quadam
 & inexplicabili ratione confletur. Verissimè
 nobilis ille Pauli ^a discipulus Dionysius
 Areopagita dixit; amorem habere vim fa-
 ciendi vnum & colligandi, præstandique
 modo res inter se miscendi prudenter Hie-
 rotheus & nomine, & vita Deo sacer, vt
 ibidem commemorat, scriptum fecit, amo-
 rum esse vim coniungentem ac miscentem.
 rectè maiores nostri consuetudinem eam,
 quæ ab amore proficiscitur; coniunctionem
 nominauerunt: si quidem deuinciuntur, &
 copulantur, & conglutinantur amantium,
 & eorum qui sunt in amore, quamuis diuer-
 sæ voluntates, vt non iam multæ; sed vna
 potetur: neque aliud quidquam est amori
 prepositum, vt copiosè differit ^c Aristopha-
 nes apud Platonem, nisi vt efficiat è duobus
 vnum. Itaque si Deus ab eis, qui amore iun-
 cti mutuo, nunquam à se discedunt sciscita-
 retur, quid sibi velint, quid optent, vnum ne
 fieri & tanquam vnus esset, ita & viuere,
 & mori, & post mortem etiam permanere?
 non dubitat auctor grauissimus, quin id
 vnum cupere se, id in optatis habere respō-
 derent, quòd si quando adipiscerentur, tum
 demum nihil præterea desideraturos. Quid
 mul

^a Dion.
 de diuinis
 nom. c. 4.

^b Hiero-
 theus
 apud Dio-
 nyfium
 ibid.

^c Plato
 in conui-
 uio.

a Gen. 34.
b 1. Reg.
18.

multis opus est? literæ diuinæ quibus aliis
 verbis amoris vim amplificare solent, nisi
 ius quæ adhesionem significant & copula-
 tionem? non a animum Sichemi cum Di-
 na conglutinatam fuisse testantur? b non
 animos Ionathæ & Dauidis tradunt fuisse
 conglutinosos? qui verò utitur hoc verbo
 in amore declarando, is ostendit, tantam
 in eo vim esse, ut vnum animum efficiat è
 multis. Hoc igitur duplex est vinculum vo-
 luntatis & intelligentiæ, quo homines cum
 hominibus nectuntur, hæc gemina con-
 glutinatio animorum in vnum coeuntium,
 quarum & vna ex altera sæpe nascitur &
 neutra per se sine altera potest esse aut per-
 fecta, aut diuturna, nam quò voluntas qua-
 dam inclinatione propendet, eòdem vergit
 interdum etiam intelligentia: difficillimè-
 que fit, ut dissentias ab eo quem amas: &
 quorum opiniones ac sententiæ inter se
 mirificè consentiunt, eorum voluntates di-
 screpare, & in contrarias partes impelli ferè
 non solent: & siue dissentiant, ac inter se
 pugnent opiniones, coniunctio voluntatum
 nequit, vel vnum planè animum efficere,
 vel retinere diutiùs, & conseruare vim suam:
 siue dissideant inter se voluntate atque dis-
 cordent, neque sola intelligentiæ consen-
 sio, & opinionum similitudo perfectè col-
 ligit

ligat, & conglutinat animos humanos? neque diu possunt, qui sic affecti sunt in eadem manere sententia. At qui vbi summa est & mentium & voluntatū concordia, vt neque sententia sententiis, neque appetitiones appetitionibus repugnēt & officiant, tum illud vnum oritur, quod quærimus absolutum ex omni parte, atque perfectum, cuius nusquam in rebus humanis, præterquam in amicitia vera, similitudo vlla reperitur. *a* hinc à veteribus Latinis vnanimis & cōcordes appellati: *b* hinc Aristotelis illud non minus in vulgus notum, quàm acutum & graue responsum, & amicum animum esse vnum in corporibus duobus habitantem, hinc eiusdem illa memorabilis, & vera sententia? qui eadem velit alteri, quæ sibi & in eum sit nō secus animatus, ac in se ipsum, qui pari dolore parique lætitia afficiatur, atque amicus? qui cum altero sentiat, eademque non vnâ aliquâ animi parte, sed toto animo expetat, hunc esse verum amicum atque Germanum. hinc illa priscorum sapientium ab ipsa natura profecta & c. plerisque scriptoribus crebrò vsurpata *c* vox amicum esse alterum eundem. Quoties vidimus, P. B. quoties vidimus præsentis amicos, in adpectu? & sermone mutuo acquiescentes, incredibili cumulari

a Laert.

b Arist. vi

c Aug. l. 4

confes. c. 6

Arist. c. 9.

Eth. ca. 4.

& 2. Ret.

c. 4.

c Arist. l.

9. Ethic. c.

4. Aug. l. 4.

confes. c. 6.

mulari gaudio, & quadam voluptate sine
 fatietate pasci: absentes autem & locorum
 interuallo disiectos, licet abundant aliis
 omnibus animi corporisque bonis & exter-
 nis, in media tamen copiâ nescio quid re-
 quirere: & angî animo, & tacito quodam de-
 siderio cõtabescere? Huius autem desiderii,
 & doloris quam arbitramur esse causam?
 nimirum cum sit vnus animus, conflatus è
 duobus, alterum alterius dimidium esse ne-
 cesse est, vt pereleganter prudens & poëta
 dixit, & cum diuiduntur locis, vterque sibi
 aliquid deesse sentit, & eam quæ abest, desi-
 derat partem sui: vel potius cum in amici-
 tia perfecta vnus alteri fit alter ipse, cum
 longè absunt, vterque se ipsum à se abesse
 dolet, & seipse præsens, requirit absentem.
 Ab hoc tanto mentium voluntatumque cõ-
 sensu similes inter se prorsus functiones,
 actiones, officia sicut ab vno fonte manant.
 etenim si omnis hominum vita intelligētia,
 & volūtate gubernatur, atque hæc sunt no-
 bis duo præcipua, & faciendi & agendi prin-
 cipia; qui potest eorum vitæ genus esse dif-
 simile, quorum sensus omnibus in rebus mi-
 rè congruant, cernimus eos, quorum est in-
 signis inter ipsos animorum coniunctio, nõ
 solum iisdem studiis teneri, siisdem rebus de-
 lectari & dolere, sed etiam vti simili amiētū,
 & in

Hor. od.
 lib. car.
 August. 1.
 Confess.
 a. 6.

& incessu, tanta est vis illius cōcordiæ, quæ mentes eorum voluntatesque cōstrinxit, vt ne minimis quidem in rebus eos à se inuicem disiungi ac diuelli patiatur. Verùm hanc tantam & animorum factorum cōsentionem, quantam vix in duobus, tribusve paribus amicorum, aliquando vidimus, vel audiuimus, vel legimus fuisse in omnibus hominibus, tanta varietate nationum, ciuitatum dissimilitudine, discrepantia sermonis atque linguæ, sine aliquo diuino munere, & dono existere posse credere, stultum est, cum præsertim ne ciues quidem eiusdē ciuitatis vt idem omninò sentiant, idem velint, humana vi & industria perfici possit. Magna est in rebus ipsis obscuritas: magnæ in hominum ingeniis dissimilitudines: celeriora, tardiora, acutiora, hebetiora, crebras, & graues oriri de rebus dissentiones, necesse est. Legimus priscorum philosophorum libros diligenter & accuratè conscriptos, quàm multa non diuersa modò, verùm etiam inter se pugnancia reperimus? mihi de natura; nam id magis fortasse ferendum videretur, de vita beata, de summo bono, de forma ciuitatis, de publicis priuatisque moribus, de virtutibus, & vitiis: de rebus appetendis & fugiendis, & quod ad vitam bene sancteque instituendam caput est, de natura

& immortalitate animorum, quam vehementer inter se, & quanta contentione decertant? neque verò facilius est coniungere voluntates, & ad concordiam omnes omnium appetitiones adducere. sunt variae corporum constitutiones dissimiles naturæ diversi mores accedit educatio institutioque puerilis; & disciplina partim publica cuiusque gētis atq; ciuitatis partim priuata atq; domestica, quibus in rebus cum tāta sit differentia, quantam nemo verbis explicare queat, sperandum non est amoris humani viribus effici posse, vt si omnium hominum vna & eadem voluntas: at certè in rebus ad salutem æternam necessariis idem sentire; idem velle ac nolle oportet eos qui salui esse velint. Quid hic excogitauit. Deus optimus & maximus ille Deus, qui nos ad hanc sententiarum & voluntatum coniunctionē delegit, conuocauit, aggregauit, quid excogitauit, quid fecit: Vide, P.B. quantum principi & parenti salutis nostræ debeamus nullis nostris promeritis, naturæ suæ singulari benignitate, duas nobis virtutes, fidem & charitatem dedit, vt quod assequi per nos ipsi non possemus, id diuino munere atque beneficio nō magno negotio consequeremur fides cōtrarias de rebus necessariis opiniones ex animi euellit; charitas
ollit

tollit omnia dissidia voluntatum: fides quid omnes conueniat sentire demonstrat; charitas ad ea eligenda quæ amanda sunt animos accendit. fides conspiratione sententiarum; mentes coniungit; charitas amoris diuini vinculis colligat voluntates. Contendebant antea multis de rebus dissidentes inter se familiae philosophorum & cum sæpe numero contraria docerent; sua quæque decreta confirmans, aliis etiam persuadere nitentur. Fides magna ex parte tollit è medio molestum illud perniciosumque certamen: vt etiam si nonnulla de rebus contraria existimare non sit nefas, de illis tamen quæ sunt prorsus ad beatam immortalitatem assequendam necessaria, idem omnes & sentiamus, & loquamur. Quid enim ais philosophæ; quid in illis gymnasiolorum exedris otiose residens tumultuose vociferaris: an nullum esse Deum, at esse fide pro explorato nos habemus: an humanam eum habere speciem & figuram, at Deum corpore carere & ab omni concretionem segregatum esse docet fides: an non regi res humanas prouidentia, at ne folium quidem vnum ex arbore, vel capillum ex hominum capite defluere sine diuina voluntate, fides tradit: nū æternum esse mundum, at nouam rerum molitionem, & initium huius vniuersitatis

fides nobis exponit : nihil ne omninò manere? nullum sēsūm residere post mortem? at nostros animos immortales esse, & ad corpora sua redituros aliquando, fides ostendit aniles ne esse fabulas improborum supplicia post obitum, præmia bonorum? at reddi-
turos omnes Deo totius vitæ rationem, & digna quemque suis dictis atque factis, vel præmiavel supplicia reportaturum, declarat fides, nullus error est, ab illa beata & immortali vita nos excludens, quem non radicatus extrahat & extirpet fides. Multa conturbare solent hominum vitam, & alienant aliorum ab aliis voluntates, tantūque vel odii, vel inuidiæ incendium excitant, vt nulla queat hominum prudentia restingui. ea omnia charitas cum omninò è medio; tolli nequeant, ita debilitat & frangit, vt nulla iam perniciēs ab illis impendeat iis, qui cœlesti amore ardent. est namque charitas magnanima in perferendo, benigna & lenis in condonando, in rebus aliorum secundis non inuida, non inhumana, neque crudelis in aduersis. inconstanti leuitate nō fluctuat, contumaci superbia non intumescit, honos vel ignominia proponitur non ambitione incenditur, non iniustæ ignominiaē metu commouetur. spes quæstus inuitat? non sui magis commodis, quam aliorum vel neces-

grati

sitati, vel utilitati seruit: offenditur? non
 excandescit iracundia, læditur? nemini ul-
 ciscendi se causa machinatur aliquid: ma-
 lis verbis improborum excitatur ad nocen-
 dum? nullius iniuria, vel incommodo dele-
 ctatur: ad fallendum, ad fraudandum im-
 pellitur? veritate mirabiliter gaudet: quid
 est tam durum, tam asperum, tam acer-
 bum, quod non illa ferens æquo animo, li-
 benter sileri patiatur? quid is qui diligitur
 loqui potest, quod illa non credat? quid tam
 difficile, quid tam arduum videri, quod il-
 la perficere se posse non speret? quod tam
 formidolosum atque terribile, quod non
 illa vel sustineat præsens, vel adueniens ex-
 cipiat animo erecto, parato, & inuicto? de-
 nique quidquid est, vnde discordia atque
 dissidia nasci possint, id in eius animo nihil
 habet loci, quem diuinæ charitatis ardor in-
 flammat. Quid ergo est? quoniam qui idem
 credunt, idem amant, idem sperant, eorū nec
 oratio verbis, nec moribus vita discrepare
 potest, sit vt omnes eiusdem fidei, & diuini
 amoris vinculis deuincti, toto cum sermo-
 nis, tum vitæ genere mirificè concordent.
 Itaque S. Paulus omnia semina discordia-
 rum è Christianorum animis eruere cōten-
 dens, a Hebræos hortabatur, ne se variis do- a Ad He-
 ctrinis, & nouis, atque peregrinis à veri- br. 13.

rate, abduci sinerent & leuiter huc illuc cir-
 cumferri: *a* Corinthios obsecrabat, vt idem
 loquerentur omnes, & sine concertatione,
 sine dissidio, perfectè in omnibus rebus es-
 sent vna mente sententiæque copulati: pro
b Romanis Deum verbis supplicibus ora-
 bat, vt quòd quisque de se, idem de aliis
 quoque sentiret: quod est charitatis rursus
c Corinthios admonebat, vt idem cogitarèt
 & sentirent, quod efficit fides, & pacem cum
 omnibus haberent: quod præstat charitas
 diuina: postremo *d* Philippenses, vt idem sen-
 tirèt, eandem erga se mutuò charitatem &
 beneuolentiam haberent, grauissimis ver-
 bis obtestabatur, videlicet intelligabat, ad
 concordiam & animorum coniunctionem
 nos fuisse conuocatos: *e* vt vno animo, vno
 ore debitam Deo laudem, honorem, cul-
 tumque tribuamus; & nos officio munerique
 nostro non deesse cupiebat, quando
 Deus non defuisset suo: & rem tantam sine
 fidei, charitatisque præsiidiis non posse per-
 fici sentiebat. Et certè vnde inter hæreticos
 tum antiquos illos tum hos novos ac recē-
 tes iam multæ de rebus maximis conten-
 tiones ortæ, vt in eos vetus illud egregiè
 conueniat, *Quot capita tot sententia*; multo-
 que vehementius ipsi inter se & pugnarint
 & pugnent, quàm nobiscum? nonne quòd
 fidem

Ad Cor.
cap. 1.

b ad
Rom. 9.

c Ad Rom.
c. 13.

d Ad Phi-
lip. 2.

e Ad Rom.
5. ad
Philip. 2.

fidem communem mentium & sententiarum nexum reiecerunt? unde inde eos etiam, qui de rebus diuinis non aliter, quam oportet, opinantur & loquuntur, tum publicè, tum priuatim, tam dissimiles vitæ rationes, tam diuersi mores, tam inter se contraria studia, & actiones? unde tot simultates, tam graues inimicitia, tam acerba odia, tot bella, pugnae, caedes? an non quia sanctissimum charitatis & benevolentiae mutuae nodum impiè ruperunt, vt etiam sententiis congruant, appetitionibus tamen in diuersas partes rapiantur? at verò qui fidem & charitatem integram retinuerunt, eorum tam firma & constans est, & semper fuit opinionum voluntarumque societas: tanta doctorum factorumque consensus, vt cum vndique turbulentissimis discrepantium errorum fluctibus, & procellis exagitata fuerit & etiam nunc exagitetur, nulla vi tamen queat, nullo improbitatis turbine dissolui: ^a vt quondam fuit totius multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, sic modò quicumque sunt tales, quales homines Christianos esse cõuenit, vno animo, vna sententia, vna voluntate conspirant.

b Nullum est gentium, nullum ciuitatum ^b Ad Ro-
discrimen: nihil interest vbi quisque sit ^{manos 102}
natus: non refert quam securus fuerit antè

disciplinam, modò se contulerit ad Christum, non est Iudæus, neque Græcus, nō est seruus, neque liber, non est masculus, neque
 Colof. 3. fœmina, *a* sed omnes gentes, conditione, sexu, ætate differentes, vnum sumus in Christo, quoniam omnia, & in omnibus Christus, *b* corpore, inquam, & spiritu vnum sumus: disiungimur quidem hoc naturali corpore hebeti & tardo: sed cum omnes sanctissimo Christi corpore sanguinèque partiscamur, *c* cibi cœlestis & potus communitate, vnum cum eo corpus efficiamur, & eiusdē mystici corporis diuersa quidē, sed non auulsa, neque separatamēbra: sumus animis diuisi, cum animū quisque suum habeat ab alterius animo diuersum: verū in mētibus omnium licet diuisis atq; separatis, *d* vnus & idem habitat Spiritus sanctus, qui totum corpus Ecclesiæ velut animus format, fingit, quò vult, impellit, & regit, *e* is non vnū secum Spiritum reddit, quoniam qui, adhæret Domino, vnus cum eo Spiritus est, contemnimus enim vitā hanc nobis cum bestiis communem, & sancti Spiritus legibus omnino paremus, *f* factique diuinę nature confortes, *g* filij Dei nominamur, & sumus: eiusdē Spiritus sancti beneficio habitat in nobis Pater, habitat Filius, habitat Spiritus sanctus, habitant omnes res hypostases.

vnus

vnus Deus, qui nos inter nos admirabili quodammodo sicutumque cōiungit, a si quis, a Ioan. inquit, *diligis me, sermonem meum seruabis, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, in quibus igitur habitat idem Pater, idem Filius, idem Spiritus sanctus, vnus & idem Deus: qui cum eo vnus & idem efficiuntur, hi non vnū, & idem inter se esse quī possunt? Non sine causa generis humani liberator illud posuit in precatōne sua: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis vnus sim;* Sed illa diuina, quā cuncta dixit & fecit sapientia, tacitè significare voluit, vt ipse cum Patre est vnus, quod eiusdem naturæ communionē, penitus insit alter in altero: sic nos in aliquam societatem diuinitatis aspirantes, quod idem sit in omnibus Deus, & cum eo fide, & charitate copulati hæreamus, alios in aliis esse quodammodo, & omnes inter nos indissolubili modo constrictos, in vnus quasi corpus coire debere. Hæc est Ecclesiæ Christianæ diuinis virtutibus nixa consensio: hæc sempiternæ Trinitatis imitatio: hæc tam abstrusi mysterij similitudo, quā Christianus in populo suo requirit: hæc eorū regio atque via, qui ad hunc tam altum dignitatis gradum ascendere conantur. Vult seruitutis nostræ

Ioan. 17.

depulsor dux, & parens libertatis, nos omnes in fide in beneuolētia, & eharitate mutua permanere, firmissimo pacis vinculo sic inter nos coniugatos & connexos, vt hæc animorum coniunctio voluntaria, vnitatis videatur esse, nullóque modo neque iucundarum rerum illecebris dissolui, neque tristium expectatione & metu disrumpi, aut discindi possit; sed pietas & sanctitatis communiōe, integra ex omni parte inuiolatáque seruetur. Hic nobis laborandum & sudandum est: hic studium, hic cogitatio, hic cura defigenda, in hoc omnes corporis animique nerui contendendi, sic digni hoc nomine videri, quo iure optimo gaudemus, si vita beata & æterna frui volumus, vt ad illam omnes mentes creatas superantem diuinam hypostaseōn coniunctionem proximè; quoad nostra feret mortalitas, accedamus. Illarum penitus eadem est intelligentia: nostræ mentes, quamuis diuersæ, tamen eiusdem fidei decretis sine vlla dissensione conspirant: illarum vna prorsus est voluntas; nostræ dissimiles voluntates ita mutux beneuolentiæ, & charitatis vinculis alligētur, vt nulla vi queant, nullo periculo diuelli: illarum eadem est vis ac potestas, qua res omnes pariter, & pro

procreant, & tuentur, & regunt: sic in nobis vnum, & idem vitæ genus, omnibus virtutibus insignitum, ab eadem fide, & charitate proficiantur. Quid plura? non possumus omninò idem esse natura, si tanta fidei, & studiorum & voluntatum & rectè factorum societas atque consensus, vt tolleretur omnium nationum delectus atque discrimen. Si membra corporis inter se pugnae perniciosum est, nòne omnes eiusdem corporis partes sumus? si quæ anima vna, & spiritu aluntur & reguntur, discrepare fœdum est, nòne totum corpus Ecclesiæ cuius nos membra sumus eiusdem sancti Spiritus vi & numine continetur? si qui pariter idem præmium expectant, sperati boni societate deuinciuntur annon omnes ad eandem spem vitæ beatæ, & immortalis vocati sumus? qui numerantur in eiusdem familia, concordés esse par est, non nos omnes communem dominum habemus Deum? si religio, & opinionum similitudo coniungit animos, nòne omnes eandem diuinitus hausimus fidem? si sacra, si cæremoniæ, si mysteria conglutinant voluntates, annon omnes eiusdem baptismatis particeps sumus, eadem sacra colimus? eandem cæremoniam & cultum, aduersus illam supremam beatamque naturam adhibe

a Ad Ep^h

4°

Ad Ro.
ad Gal.
ad E-
ph. 1.

hibemus? denique si fratrum dissidia meri-
tò reprehenduntur, nōne omnes filij Dei
sumus, & a occultâ sancti Spiritus adoptio-
ne, quem antea, etiam viri boni, vt seue-
rissimum iudicem exhorrescebant, eundem
nos vno ore cum tacita quadam animi vo-
luptate nominamus patrem; Liceat mihi, P.
B. in hoc grauissimo concilio orbis terræ,
simpliciter & sine fūco apperire quid sen-
tiam; vos patres amplissimi, bonam in par-
tem, obsecro, accipite quæ dicam. Etsi po-
pulus Christianus vniuersus hanc tantam
concordiam amplecti, & colere studiosè de-
bet, nusquam tamen tam incēsum eius con-
seruandæ studium, quàm in hoc grauissimo
sanctissimoque cœtu, cerni arbitror oportere:
tu; P. B. quem iure ista auctoritate tan-
ta, & maiestate præditum videmus, Christi
Opt. Max. locum obtines: vos, patres am-
plissimi, Apostolorum, qui cum illo erant,
personam sustinetis: vt Apostolus & inter
ipso, & cum magistro semper egregiè con-
uenit, sic vos inrer vos iunctos animis &
concordes esse decet: qui excelsa loco at-
tem agunt, eorū vitam, singula dicta, atque
facta oculi multorum obseruat. Si, quod
Deus auertat, collegiū hoc angustissimum
aliquā discordiā intestinā laborabit, & aut
ipsū à se, aut à suo principe & capite Chri-
sti

sti vicario dissidebit, quid tandem mali non
erit subeundum populo Christiano? aut que
spes residebit, posse alios inter se iungi hac
concordiâ cœlesti? sin autem, quod ita sem-
per futurum speramus, hoc cœcilium idem
cum suo duce & sentiet, & volet: si tu, P. B.
nihil omnium gentium salute duces anti-
quus, si vos, patres amplissimi; semper me-
mineritis, vos ob curæ similitudinem quam
omnibus gentibus æquabiliter à vobis præ-
stari consentaneum est, patres appellatos, &
omnes homines in liberum loco ducetis,
quo studio cæteri tum publicè, tum priua-
tim ad pacem incumbent? quàm facile prin-
cipum inimicitia, si quæ fuerint exorta,
delebuntur? quâ vitæ tranquillitate perfrue-
mur? huc igitur, huc operam industriamque
nostram conferamus, & quoniam ad mi-
rificam omnium rerum consensionem con-
uocati sumus, demus operam, vt viam,
quemadmodum hoc tam præclaro fine di-
gnum est, instituamus: humiliter ac de-
missè de nobis & sentiamus, & loquamur:
mites nos erga cæteros, lenesque præbea-
mus; alij aliornm vel ineptias, vel iniu-
rias æquo animo feramus: sollicitudinem
conseruandi mutua concordia sancti Spiri-
tus communionem, nullo tempore aut lo-
co deponamus. Hoc Filius Dei, quærens,
hyma

humanam induit naturam, cum se ipse ad homines pacificandos venisse profiteretur hoc verbis, hoc factis docuit, hoc egit dum inter homines fuit hoc denique supremo vitæ tempore à Patre precatus est, ut ex omnibus gentibus vnum quasi corpus Ecclesiæ conflaretur: hoc Petrus, hoc Paulus hoc cæteri Apostoli à Christo docti, quantum ex ipsorum scriptis intelligi potest, maxime contenderunt, ut in Ecclesia nulla esset de religione dissensio, nulla discrepantia voluntatum, nullum dissidium morum atque vitæ, quo maiore odio digni illi videri debent, qui amentia quadam & furore instincti, turbulentis ac seditiosis clamoribus Reipublicæ Christianæ partes, tamquam eiusdem corporis membra, distrahere ac discerpere conantur. Fuit consuetudo semper hæreticorum, consuetudini bonorum, & rectè de religione sententiarum contraria penitus & aduersa: illi idem omnes loquebantur: hæretici non solum alij ab alijs, verum etiam ipsi à se nonnumquam vehementer dissentiebant: illis erat Ecclesiæ concordia proposita, hæreticis nihil nisi dissidia, & seditiones: illi colligere dispersos, & discrepantes ad vnâ reuocare sententiam, componere res perturbatas, hæretici congregatos dissipare, concordantes in multas dissimiles ac inter

ter

ter se pugnantes opiniones distrahere, sacra profanis miscere & conturbare nitebantur. Nihil de Nicolaitis dicam, nihil de Ebionitis, nihil de aliis impurissimis gregibus transfugarum, qui iam tum Apostolorum temporibus, magnos in Ecclesia tumultus & discordias perniciosas concitarunt: non colligam Azianos: Sabellianos, Eunomianos, Macedonianos, aliasque veteres Reip. Christianæ pestes, quæ diuisæ contrariis erroribus, magnas nobilesque partes à toto corpore abscissas, ad perniciem & interitum abstraxerunt. hos modò turbines, has Ecclesiæ procellas, intuere animo, quæ nostra patrumque memoria, bonis parum vigilantibus exstiterunt. Nondum quinquagesimus annus est à Lutheri nefaria religionis oppugnatione. Audiuimus domestica, crudelia, & exitiosa bella Germaniæ qualia nulla unquam Barbaria cum sua gente gessit, quæ misera nunc & perdita, non solum ab Ecclesiæ communitate segregata, sed etiam in hæreticorū fūctione amplius octoginta distracta quotidie veteres opiniones contemnens amplexans nouas, calamitatibus ipsa suis pascitur & delectatur. Paucis abhinc annis Calvinus nescio quis illustre suū nomē Ecclesiæ calamitate reddere velle cœpit. Vidimus propè oculis, per hosce duos
annos,

annos & videmus totam Galliam in armis, non vſitato, non humano more tumultuantem, quàm multa oppida obſeſſa ſunt? quàm multa vi capta & direpta? quot viri præſtantes, ereptis bonis è ciuitatibus quique ſuis præcipites eiecti? quàm indignè ſacerdotum, & monachorum factæ cædes? quæ ſtrages editæ? à quibus templis antiquis, religioſis ornatis, & refertis impias & inceſtas manus illæ beſtiæ continuerunt? modo læti nuntij; modo tristes afferuntur: recreamur, angimur, ſperamus, timemus: quæ ſi tam variè noſtrum abſentium animos afficiant, quid illis accidere putamus, qui ſingula mala præſentes, & acerbiffima patriæ funera intuentur? vtinam dubiè ac formiduloſæ res vetuſtiſſimi Chriſtianiffimique regni meliores exitus habeant; quam veremur; & illa pax ob indignam clariffimi ducis necem facta cum obſeſſis, ad ſalutem potius illius gètis, quàm ad perniciem fuerit conſtituta: illi certè magno apud omnes odio eſſe debent, qui tam breui tot bella, tam atrociam, tam calamitoſa conflare potuerunt. Vosne generis humani peſtes, Eccleſiæ furia, faces patriæ, religionis hoſtes, ſacrorum prædones, labes ac ruina orbis terræ, vos inquam, qui è ſtabulariis, & çerdonibus, facti eſtis re-
pen

pentè populi magistri & doctores, tãta eritis cõfidentia & audaciã; vt spretã antiquã disciplinã, sanctissimis templis incensis, effractis atque prostratis pietatis maiorum monumentis, pollutis religionibus, cum omnia iura diuina & humana, incredibili scelere violaueritis, in illis ganearum tenebris cibo vinõque confecti, eructeris sermonibus vestris cãdẽ piorum direptiones urbium regnorũ vastationes & incendia? Magna immortalì Deo, quẽ Reip. Christianæ Principem & custodem verè nominamus, habenda est gratia, P. B. quòd animum tuũ magnum & excelsum, qui secundum Christum Opt. Max. dux & caput es Ecclesiæ, ad opem nobis in tantis calamitatibus ferendam excitauit, tu ad discutiendas errorum nubes, & corrigendam mörum disciplinam Concilium œcumenicum Tridentinum indixisti: tu per legatos omnes Germaniæ Principes, & liberas ciuitates ad remedium malorum accipiendum inuitasti: tu viros eximia doctrina tum pontifica, tum diuini iuris & sacrarum literarum scientia præstantes, ad vnãquamque rem examinandam tua liberalitate sustentas: cum eis apertè præcipias, vt nihil aliud dicant, nisi quod cum vero viderint conuenire: tu pœnarum metu recusantes, & tergiuersantes

Or. p.

BB

singularum Ecclesiarum rectores, ad suum
 munus obeundū impellis; & cæteras Reip.
 Christianæ partes afflictas propèque despe-
 ratas, institutis & decretis salutaribus; re-
 creas & confirmas. Omitto cætera, quæ de
 te, P.B. dici possunt: profectò aut nulla iam
 spes reliqua est retinendæ pacis & concor-
 diæ, aut si qua reliqua est, tota posita est in
 hac vigilantia, labore, diligentia tua. Perge
 igitur, bone pastor, perge alere, tueri, sanare
 gregem tuū, & cuius causa Iesus Christus
 princeps pastorum omnium sanguinē & vi-
 tam suâ sponte profudit, in eius tu salute
 conseruanda noli defatigari. Vos verò, pa-
 tres amplissimi, quorum consiliis Pius I V.
 Pont. Max. regit & moderatur orbem terræ,
 incumbite, obsecro incumbite in eam curâ
 quæ est maximè propria cū muneris & of-
 ficij, tum sapientiæ vestræ, & in omnes ho-
 mines beneficentiæ. Têdunt ad vos suppli-
 ces manus Pannonia, & Germana, quæ ma-
 gna ex parte sic impiorū impetu sūt defor-
 mata, vt vestigia pristina, ac veræ religio-
 nis vix vlla compereant: tendit Gallia, quæ
 amisso propè cognomēto maiorum pietate
 parto, regem suum à suis pacis condiciones
 accipientē adspexit Omnes quæ vbiq; sunt
 nationes, vestram opem expectant, vestriū
 auxilium ac misericordiam implorant, vt
 reconci

reconciliatis tot ciuitatibus, & suo corpori restitutis consensione doctrinæ, coiunctione voluntatum, honestate vitæ, illam diuinarum personarum naturæ vnitatem imitantes: quomodo credunt, videre post obitum possint, & sempiternâ ac beatâ vitâ cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto vno Deo perfruantur, cui in omnem æternitatem gloria, & imperium debetur.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI

AD PIVM IV. PONT. MAX.
ORATIO X.

CLARIOR præsentia tuâ quam Solis luce dies, & inopinato aduentu ad æternam posteritatis memoriam consecratus, tantam nobis omnibus lætitiæ voluptatem affert, P. B. quantam hæc iam illustris voluntatis erga nos significatio, tuumque summum orbis terræ de nostra Societate iudicium, debet afferre, sed obstat lætitiæ propè gestienti à tanta maiestate profectus metus, & quantum illa remittit ac dilatat animos, tantum hic contrahit, in angustumque deducit. Cuius enim quamuis paratam